



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

CIX. De inani splendore virtutum cavendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

S E R M O C I X.

De inani splendore Virtutum cavendo.

* Matt. 25. a*

CAveamus Fratres, ne vasorum interim vacuo splendore decepti, sero conqueri habeamus quod lampades nostræ extinguntur. Ego enim reor minimè fuisse accensas, quæ tunc videntur extingui. Sic nempe habes: *Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas. Accipientes dixit, non accedentes.* Quomodo enim accenderunt, quæ non sumpserunt oleum secum? Aut ubi ignis materia defuit, quomodo ignis fuit? Aut lucet castitas etiam ex seipsa. Sed quanto lucidior lampas ardens, quam sine igne, tantò pulchrior casta generatio cum charitate. Sic & à cæteris voluptatibus temperantia & patientia in adversitatibus, honestas in conversatione, & circumspectio in sermone, elemosyna quoque & ejusmodi opera pietatis naturali quadam placere gratia, & velut ingenito decore etiam apud fatuas virgines retinere videntur. At quoniam vitrea magis quam ignea claritate fulgebant, eo ipso lampades suas arbitrabantur extingui, quo nimirum inanem hunc splendorem ab æterna conspexerint luce reprobati.

S E R M O C X.

De allocutione hominis ad seipsum, vel animam suam.

* 1. Cor. 2. c

* Psal. 62. a

* Psal. 41. b
* Psal. 145. a
* Psal. 102. a

Quanta est miseria nostra, & indigentia nostra quam multiplex! Etiam verbis opus habemus. Et cum utrumque sit miserum, non jam mirum quod inter nos: mirum magis, quod etiam ad nosipsum. *Nemo scit quæ sint in homine, nisi spiritus hominis qui est in ipso a.* Chaos magnum inter nos firmatum est, nisi interveniente quasi instrumento verborum fiat adinvicem transitus quidam cordium in communicatione cogitationum. Hac necessitate inventa sunt verba: Quis nesciat? Veruntamen & nosipsum verbis jam alloqui necesse est. *Nonne Deo subiecta eris anima mea?* Propheta ait b: *Ab ipso enim salutare meum.* Et cui non frequenter necesse est animam revocare suam, advocare rationem suam, suos convocare affectus? Cui non opus est crebrò seipsum convenire verbis, increpare minis, sollicitare monitis, urgere accusationibus? Quin etiam ratioçiniis suadere expedit: quale est: *Ab ipso enim salutare meum;* & consolari aliquando, juxta illud c: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Et interdum velut excitare & dicere: *Lauda anima mea Dominum d.* Et nonnunquam diligentius commonere de quibus oportet, ut est e: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones eius.* Nempe cor meum dereliquit me, & necesse habeo ad meipsum, imò ad me alterum loqui. Atque id interim tantò amplius, quantò minus sum. adhuc reversus ad cor, reversus

in